Prologus sancti Ieronimi in librum Tobie.

Chromatio et Heliodoro episcopis Ieronimus presbiter
in domino salutem. Mirari non desino exactionis vestre
instantiam. Exigitis enim ut librum chaldeo sermone
conscriptum ad latinum stilum traham, librum utique
Tobie, quem Hebrei de catalogo divinarum scripturarum
secantes, his que agiographa memorant manci-
paverunt. Feci satis desiderio vestro, non tamen meo stu-
dio. Arguunt enim nos Hebreorum studia et im-
putant nobis contra suum canonem latinis auribus ista
transferre. Sed melius esse iudicans phariseorum
displicere iudicio et episcoporum iussionibus deservire,
institi ut potui. Et quia vicina est Chaldeorum lin-
gua sermoni hebraico, utriusque lingue peritis-
simum loquacem reperiens, unius diei laborem
arripui, et quicquid ille michi hebraicis verbis ex-
pressit, hoc ego accito notario sermonibus latinis
exposui. Orationibus vestris mercedem huius operis compen-
sabo, cum gratum vobis didicero me quod iubere
estis dignati complesse.

Incipit liber Tobie.

TOBIAS
ex tribu et civitate Nep-
talim, que est in superio-
ribus Galilee super Naason
post viam que ducit ad
occidentem in sinistro,
habens civitatem Sephet,
cum captus esset in die-
bus Salmanasar regis Assiriorum, in captivitate
tamen positus viam veritatis non deseruit, ita ut omnia que
habere poterat cotidie concaptivis fratribus qui erant
ex suo genere impertiret. Cumque esset iunior omnibus
in tribu Neptalim, nichil tamen puerile gessit in opere.
Denique cum irent omnes ad vitulos aureos quos
Ieroboam rex Israel fecerat, hic solus fugiebat consor-
tia omnium, et pergebat ad Ierusalem ad templum domini, et ibi
adorabat dominum deum Israel. Omnia primitiva sua et
decimas suas fideliter offerens, ita ut in tertio an-
no proselitis et advenis ministraret omnem deci-
mationem. Hec et his similia secundum legem dei puerulus
observabat. Cum vero factus esset vir, accepit u-
xorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium,
nomen suum imponens ei. Quem ab infantia ti-
mere deum docuit et abstinere ab omni peccato. Igitur
cum per captivitatem devenisset cum uxore sua et
filio in civitatem Niniven cum omni tribu sua, et cum
omnes ederent ex cibis gentilium, iste custodivit animam suam
et numquam contaminatus est in escis eorum. Et quoniam me-
mor fuit domini in toto corde suo, dedit illi deus
gratiam in conspectu Salmanasar regis Assiriorum,
et dedit ei potestatem quocumque vellet ire, habens liberta-
tem quecumque facere voluisset. Pergebat ergo per omnes
qui erant in captivitate, et monita salutis
dabat eis. Cum autem venisset in Rages civita-
tem Medorum, et ex his quibus honoratus fuerat a
rege habuisset decem talenta argenti, et cum multa
turba generis sui Gabelum egentem videret qui erat
ex tribu eius, sub cirographo dedit illi memo-
ratum pondus argenti. Post multum vero temporis mor-
tuo Salmanasar rege, cum regnaret Senna-
cherib filius eius pro eo, et filios Israel exosos habe-
ret, Tobias pergebat per omnem cognationem suam et conso-
labatur eos, dividebatque unicuique prout poterat
de facultatibus suis. Esurientes alebat, nudisque
vestimenta prebebat, et mortuis atque occisis sepul-
turam sollicitus exhibebat. Denique cum reversus
esset rex Sennacherib fugiens a Iudea plagam
quam circa eum deus fecerat propter blasphemiam
suam, et iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobi-
as sepeliebat corpora eorum. At ubi nuntiatum est re-
gi, iussit eum occidi et tulit omnem substantiam eius. To-
bias vero cum uxore sua fugiens nudus latuit,
quia multi diligebant eum. Post dies vero xl-
v occiderunt regem filii ipsius, et reversus est Tobias
in domum suam, omnisque facultas eius resti-
tuta est ei.

Post hec vero cum esset dies festus domini, et factum esset II
prandium bonum in domo Tobie, dixit filio suo: Vade et adduc
aliquos de tribu nostra timentes deum, ut epulentur
nobiscum. Cumque abisset, reversus nuntiavit ei unum ex filiis Is-
rahel iugulatum iacere in platea. Statimque
exiliens de accubitu suo, relinquens prandium,
ieiunus pervenit ad corpus, tollensque illud portavit
ad domum suam occulte, ut dum sol occubuisset
caute sepeliret eum. Cumque occultasset corpus,
manducavit panem cum luctu et tremore, me-
morans illum sermonem quem dixit dominus per Amos prophetam:
Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luc-
tum. Cum vero sol occubuisset, abiit et sepelivit
eum. Arguebant autem illum omnes proximi sui di-
centes: Iam huius rei causa interfici iussus es, et vix
effugisti mortis imperium, et iterum sepelis mortu-
os? Sed Tobias plus timens deum quam regem, ra-
piebat corpora occisorum et occultabat in domo
sua, et mediis noctibus sepeliebat ea. Contigit
autem ut quadam die fatigatus a sepultura ve-
niens domum, iactasset se iuxta parietem et obdor-
misset, et ex nido hirundinum dormienti illi calida
stercora inciderent super oculos eius, fieretque ce-
cus. Hanc autem temptationem ideo permisit dominus evenire
illi, ut posteris daretur exemplum patien-
tie eius, sicut et sancti Iob. Nam cum ab infantia su-
a semper deum timuerit et mandata eius custodierit, non
est contristatus contra deum quod plaga cecitatis evenit ei,
sed immobilis in dei timore permansit, agens gratias
deo omnibus diebus vite sue. Nam sicut beato Iob
insultabant reges, ita isti parentes et cog-
nati eius irridebant vitam eius dicentes: Ubi est
spes tua, pro qua elemosinas et sepulturas faci-
ebas? Tobias vero increpabat eos dicens: Nolite
ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus, quam deus datu-
rus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo. Anna

non uxor eius ibat ad textrinum opus cotidie. Et de labore manuum suarum uictum quem consequi potuisset, deferebat. Unde factum est ut hedum caprarum accipiens detulisset domum. Cuius cum uocem balantis uir eius audisset, dixit: Uidete ne forte furtiuus sit. Reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere. Ad hec uxor eius irata respondit: Manifeste uana facta est spes tua, et elemosine tue modo apparuerunt. Atque his et aliis huiuscemodi uerbis exprobrabat ei.

III Tunc Tobias ingemuit, et cepit orare cum lacrimis dicens: Iustus es domine, et omnia iudicia tua iusta sunt, et omnes uie tue misericordia et ueritas et iudicium. Et nunc domine memor esto mei, et ne uindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea uel parentum meorum. Quoniam non obediuimus preceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem et captiuitatem et mortem, et in fabulam et in improperium omnibus nationibus in quibus dispersisti nos. Et nunc domine secundum uoluntatem tuam fac mecum, et precipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim mihi mori magis quam uiuere. Eadem itaque die contigit ut Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, et ipsa audiret improperium ab una ex ancillis patris sui, quoniam tradita fuerat septem uiris, et demonium nomine Asmodeus occiderat eos mox ut ingressi fuissent ad eam. Ergo cum increparet puellam pro culpa sua, respondit ei dicens: Amplius ex te non uideamus filium aut filiam super terram, interfectrix uirorum tuorum. Numquid et me occidere uis, sicut iam occidisti septem uiros? Ad hanc uocem perrexit in superius cubiculum domus sue, et tribus diebus et tribus noctibus non manducauit neque bibit, sed in oratione persistens cum lacrimis deprecabatur deum, ut ab isto improperio liberaret eam. Factum est autem tercia die, dum compleret orationem, benedicens dominum dixit: Benedictum est nomen tuum deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui inuocant te. Ad te domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo. Peto domine ut de uinculo improperii huius absoluas me, aut certe desuper terram eripias me. Tu scis domine quia numquam concupiui uirum, et mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in leuitate ambulant participem me prebui. Uirum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. Et aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me digni non fuerunt, quia forsitan uiro alio conseruasti me. Non est enim in hominis potestate consilium tuum. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quia uita eius si in probatione fuerit coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; et si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam uenire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, et post lacrimationem et fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum deus Israel benedictum in secula. In illo tempore exaudite sunt preces amborum in conspectu glorie summi dei, et missus est angelus domini sanctus Raphael ut curaret ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu domini recitate.

IIII Igitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri, ut mori potuisset, uocauit ad se Tobiam filium suum, dixitque ei: Audi fili mi uerba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum construe. Cum acceperit deus animam meam, corpus meum sepeli, et honorem habebis matri tue omnibus diebus uite eius. Memor enim esse debes que et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Cum autem et ipsa compleuerit tempus uite sue, sepelies eam circa me. Omnibus autem diebus uite tue in mente habeto deum, et caue ne aliquando peccato consentias, et pretermittas precepta dei nostri. Ex substantia tua fac elemosinam, et noli auertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet ut nec a te auertatur facies domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Premium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam elemosina ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo deo elemosina omnibus facientibus eam. Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, et preter uxorem tuam numquam patiaris crimen scire. Superbiam numquam in tuo sensu aut in tuo uerbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. Quod ab alio oderis fieri tibi, uide ne tu aliquando alteri facias. Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de uestimentis tuis nudos tege. Panem tuum et uinum tuum super sepulturam iusti constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus. Consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic deum, et pete ab eo ut uias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. Indico etiam tibi fili mi dedisse me decem talenta argenti, dum infantulus esses, Gabelo in Rages ciuitate Medorum, et chirographum eius apud me habeo. Et ideo perquire quomodo ad eum peruenias, et recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, et restituas ei chirographum suum. Noli timere fili mi: pauperem quidem uitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.

V Tunc respondit Tobias patri suo et dixit: Omnia quecumque precepisti mihi faciam pater. Quo-

pecuniam hanc quo signo requiram ignoro? Ille me nescit, et ego illum ignoro: quod signum dabo ei? Sed neque uiam per quam pergatur illuc aliquando cognoui. Tunc pater suus respondit illi, et dixit: Cyrographum quidem illius penes me habeo, quod dum illi ostenderis, statim restituet. Sed perge nunc, et inquire tibi aliquem fidelem uirum, qui eat tecum salua mercede sua, dum adhuc uiuo, ut recipias eam. Tunc egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum, stantem precinctum, et quasi paratum ad ambulandum. Et ignorans quod angelus Dei esset, salutauit eum, et dixit: Unde te habemus, bone iuuenis? At ille respondit: Ex filiis Israhel. Et Tobias dixit ei: Nosti uiam que ducit in regionem Medorum? Cui respondit: Noui, et omnia itinera eius frequenter ambulaui, et mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages ciuitate Medorum, que posita est in monte Ecbathanis. Cui Tobias ait: Sustine me, obsecro, donec hec ipsa nuntiem patri meo. Tunc ingressus Tobias indicauit hec uniuersa patri suo. Super que admiratus pater, rogauit ut introiret ad eum. Ingressus itaque salutauit eum, et dixit: Gaudium tibi sit semper. Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen celi non uideo? Cui ait iuuenis: Forti animo esto, in proximo est ut a Deo cureris. Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum? Et cum redieris, restituam tibi mercedem tuam. Et dixit ei angelus: Ego ducam, et reducam eum ad te. Cui Tobias respondit: Rogo te, indica mihi de qua domo aut de qua tribu es tu? Cui Raphael angelus dixit: Genus queris mercennarii, an ipsum mercennarium qui cum filio tuo eat? Sed ne forte sollicitum te reddam, ego sum Azarias, Ananie magni filius. Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris quod uoluerim cognoscere genus tuum. Dixit autem illi angelus: Ego sanum ducam, et sanum tibi reducam filium tuum. Respondens autem Tobias, ait: Bene ambuletis, et sit Deus in itinere uestro, et angelus eius comitetur uobiscum. Tunc paratis omnibus que erant in uia portanda, fecit Tobias uale patri suo et matri sue, et ambulauerunt ambo simul. Cumque profecti essent, cepit mater eius flere, et dicere: Baculum senectutis nostre tulisti, et transmisisti a nobis. Numquam fuisset ipsa pecunia pro qua misisti eum. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, ut diuitias computaremus hoc, quod uidebamus filium nostrum. Dixitque ei Tobias: Noli flere; saluus perueniet filius noster, et saluus reuertetur ad nos, et oculi tui uidebunt illum. Credo enim quod angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia que circa eum geruntur, ita ut cum gaudio reuertatur ad nos. Ad hanc uocem cessauit mater eius flere, et tacuit.

VI

Profectus est autem Tobias, et canis secutus est eum. Et mansit prima mansione iuxta fluuium Tygris. Et exiuit ut lauaret pedes suos, et ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum. Quem expauescens Tobias, clamauit uoce magna dicens: Domine, inuadit me. Et dixit ei angelus: Apprehende branchiam eius, et trahe eum ad te. Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, et palpitare cepit ante pedes eius. Tunc dixit ei angelus: Exentera hunc piscem, et cor eius, et fel, et iecur repone tibi: sunt enim hec necessaria ad medicamenta utiliter. Quod cum fecisset, assauit carnes eius, et secum tulerunt in uia. Cetera salierunt que sufficerent eis, quousque peruenirent in Rages ciuitatem Medorum. Tunc interrogauit Tobias angelum, et dixit ei: Obsecro te, Azaria frater, ut dicas mihi quod remedium habebunt ista, que de pisce seruare iussisti? Et respondens angelus dixit ei: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus demoniorum, siue a uiro siue a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. Et dixit ei: Ubi uis ut maneamus? Respondensque angelus dixit ei: Est hic Raguel nomine, uir propinquus de tribu tua, et hic habet filiam nomine Saram; sed neque masculum neque feminam ullam habet aliam preter eam. Tibi debetur omnis substantia eius, et oportet eam te accipere coniugem. Pete ergo eam a patre eius, et dabit tibi eam in uxorem. Tunc respondit Tobias, et dixit: Audio quia tradita est septem uiris, et mortui sunt; sed et hoc audiui, quia demonium occidit illos. Timeo ergo ne forte et mihi hec eueniant, et cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. Tunc angelus Raphael dixit ei: Audi me, et ostendam tibi qui sunt quibus preualere potest demonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et sue libidini ita uacent sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem demonium super eos. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, et nichil aliud nisi in orationibus uacabis cum ea. Ipsa autem nocte incenso iecore piscis fugabitur demonium. Secunda uero nocte in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris. Tertia autem nocte benedictionem consequeris, ut filii ex uobis procreentur incolumes. Transacta autem nocte tertia, accipies uirginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahe benedictionem in filiis consequaris.

VII

Ingressi sunt autem ad Raguelem, et suscepit eos Raguel cum gaudio. Intuensque Raguel Tobiam, dixit Anne uxori sue:

Quam similis est iuvenis iste consobrino meo.
Et cum hec dixisset, ait: Unde estis iuvenes fratres
nostri. At illi dixerunt: Ex tribu Nepthalim sumus
ex captivitate Ninive. Dixitque illis Raguel: No-
stis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Novimus. Cumque
multa bona loqueretur de eo, dixit angelus ad Ra-
guhel: Tobias de quo interrogas pater huius est. Et
misit se Raguel cum lacrimis osculatus est eum
et plorans super collum eius dixit: Benedictio sit tibi fili
mi, quia boni et optimi viri filius es. Et Anna
uxor eius et Sarra filia ipsorum lacrimate sunt.
Postquam autem locuti sunt, precepit Raguhel oc-
cidi arietem et parari convivium. Cumque hortaretur
eos discumbere ad prandium, Tobias dixit: Hic ego ho-
die non manducabo neque bibam, nisi prius petitionem
meam confirmes et promittas mihi dare Sarram fi-
liam tuam. Quo audito verbo Raguel expavit,
sciens quid evenerit illis VII viris qui in-
gressi sunt ad eam. Et timere cepit ne forte huic
similiter accideret. Et cum nutaret et non daret il-
lum petenti responsum, dixit ei angelus: Noli
timere dare illam isti, quoniam huic timenti Deum de-
betur coniux filia tua. Propterea alius non potuit
habere illam. Tunc dixit Raguel: Non dubito quod
Deus preces et lacrimas meas in conspectu suo ad-
miserit. Et credo quoniam ideo vos fecit venire ad me, ut
ista coniungeretur cognationi sue secundum
legem Moysi. Et nunc noli dubium gerere
quod tibi eam tradam. Et apprehendens dexteram
filie sue dextere Tobie tradidit dicens: Deus
Abraam et Deus Ysaac et Deus Iacob sit vobiscum, et
ipse coniungat vos impleatque benedictionem suam
in vobis. Et accepta carta fecerunt conscriptionem
coniugii. Et post hec epulati sunt benedicentes
Deum. Vocavitque ad se Raguel Annam uxorem
suam, et precepit ei ut prepararet alterum cubiculum.
Et introduxit in eum Sarram filiam suam, et lacri-
mata est. Dixitque ei: Forti animo esto filia mea. Deus
celi det tibi gaudium pro tedio quod perpessa es. Post-
quam vero cenaverunt, introduxerunt iuve-
nem ad eam. Recordatus itaque Tobias sermonis an-
geli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitque
super carbones vivos.

VIII Tunc Raphahel angelus apprehendit demonium
et religavit eum in deserto superioris Egypti.
Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sar-
ra, exurge, deprecemur Deum hodie et cras et se-
cundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur.
Tertia autem transacta nocte in nostro erimus con-
iugio. Filii quippe sanctorum sumus, et non possumus
ita coniungi sicut gentes que ignorant Deum. Sur-
gentes autem pariter instanter orabant ambo
ut sanitas daretur eis. Dixitque Tobias: Do-
mine Deus patrum nostrorum, benedicant te celi et ter-
ra, mare et fontes et flumina, et omnis crea-
tura tua que in eis sunt. Tu fecisti Adam de
limo terre, dedistique ei adiutorium Evam. Et
nunc Domine tu scis quia non luxurie causa accipio
sororem meam, sed sola posteritatis dilectione, in qua bene-
dicatur nomen tuum in secula seculorum. Amen. Dixit itaque
Sarra: Miserere nobis Domine, miserere nobis, et conse-
nescamus ambo pariter sani. Et factum est circa pullorum
cantum accersiri iussit Raguel servos suos, et
abierunt pariter ut foderent sepulcrum. Dice-
bat enim: Ne forte simili modo evenerit ei quo et ce-
teris illis septem viris qui sunt ingressi ad eam. Cumque
parassent fossam, reversus Raguel ad uxorem su-
am dixit ei: Mitte unam ex ancillis tuis et
videat si mortuus est, ut sepeliam illum ante-
quam illucescat. At illa misit unam ex ancillis
suis. Que ingressa cubiculum reperit eos sal-
vos et incolumes secum pariter dormientes.
Et reversa nuntiavit bonum nuntium. Et bene-
dixerunt Dominum Raguel videlicet et Anna uxor
eius, et dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Israel,
quia non contigit nobis quemadmodum putabamus.
Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, et exclusisti
a nobis inimicum persequentem nos. Misertus es autem
duobus unicis. Fac eos Domine plenius benedicere
te, et sacrificium tibi laudis tue et sue sanitatis
offerre, ut cognoscat universitas gentium. Statimque pre-
cepit servis suis Raguel ut replerent fossam quam
fecerant priusquam lucesceret. Uxori autem sue
dixit ut instrueret convivium et prepararet omnia que
in cibos erant iter agentibus necessaria. Duasque
vaccas pingues et quattuor arietes occi-
di fecit, et parari epulas omnibus vicinis suis
cunctisque amicis. Et adiuravit Raguel To-
biam ut duas ebdomadas moraretur ap-
ud eum. De omnibus autem que possidebat Ragu-
el dimidiam partem dedit Tobie, et fecit hanc
scripturam ut pars dimidia que supererat
post obitum eorum Tobie dominio deveniret.

IX Tunc vocavit ad se Tobias angelum, quem
quidem hominem estimabat, dixitque ei: Aza-
ria frater, peto ut auscultes verba mea. Si me ipsum
tradam tibi servum, non ero condignus providentie
tue. Tamen obsecro te ut assumas tibi animalia
sive famulos, et vadas ad Gabelum in Rages
civitatem Medorum, reddasque ei cyrographum
suum, et recipias ab eo pecuniam, et rogabis eum
venire ad nuptias meas. Scis enim ipse
quoniam numerat dies pater meus. Et si tardavero
una die plus, contristatur anima eius. Et certe
vides quomodo adiuravit me Raguel, cuius ad-
iuramentum spernere non possum. Tunc Rapha-
hel assumens quattuor ex servis Ragu-
elis et duos camelos in Rages civitatem
Medorum perrexit. Et inveniens Gabelum
reddidit ei cyrographum suum, et recepit
omnem pecuniam. Indicavitque ei de Tobia fi-
lio Tobie omnia que gesta sunt, fecitque
eum secum venire ad nuptias. Cumque in-
gressus esset domum Raguelis, invenit Tobiam discumbentem.

Et exiliens osculati sunt se invicem. et flevit Ga
belus. benedixitque dominum et dixit. Benedicat te deus israel
quia filius es optimi et iusti et timentis deum et e
lemosinas facientis. Et videatis filios vestros
et filios filiorum vestrorum usque in tertiam et quartam gene
rationem. et sit semen vestrum benedictum a deo israel qui reg
nat in secula seculorum. Cumque omnes dixissent amen. ac
cesserunt ad convivium. sed et cum timore domini nu
ptiarum convivium exercebant.

X Cum vero moras faceret tobias causa nuptiarum sol
licitus erat pater eius tobias dicens. Putas quare
moratur filius meus. aut quare detentus est
ibi. Putasne gabelus mortuus est. et nemo
illi reddit pecuniam. Cepit autem contristari ni
mis ipse et anna uxor eius cum eo. Et ceperunt ambo
simul flere eo quod die statuto minime reverteretur
filius eorum ad eos. Flebat igitur mater eius inremedia
bilibus lacrimis atque dicebat. Heu heu me fili mi
ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostro
rum. baculum senectutis nostre. solatium vite nostre
spem posteritatis nostre. Omnia simul in te uno
habentes te non debuimus dimittere a nobis. Cui dice
bat tobias. Tace et noli turbari. sanus est filius noster.
satis fidelis est vir ille cum quo misimus eum. Il
la autem nullo modo consolari poterat. sed cotidie exi
liens circumspiciebat. et circuibat vias omnes per quas
spes remeandi videbatur ut procul videret eum
si fieri posset venientem. At vero raguel dicebat
ad generum suum. Mane hic. et ego mittam nun
tium salutis de te ad tobiam patrem tuum.
Cui tobias dixit. Ego novi quia pater meus et mater
mea modo dies computant et cruciatur spiritus eo
rum in ipsis. Cumque verbis multis rogaret raguel
tobiam. et ille eum nulla ratione vellet au
dire. tradidit ei sarram et dimidiam partem
omnis substantie sue in pueris in puellis in pecudibus
in camelis in vaccis et pecunia multa. et salvam
atque gaudentem a se dimisit dicens. Angelus domini sanctus
sit in itinere vestro. perducatque vos incolumes et
inveniatis omnia recte circa parentes vestros.
et videant oculi mei filios vestros priusquam moriar.
Et apprehendentes parentes filiam suam oscu
lati sunt eam. et dimiserunt ire monentes
eam honorare soceros. diligere maritum. re
gere familiam. gubernare domum. et se ipsam
inreprehensibilem exhibere.

XI Cumque reverterentur pervenerunt ad Cha
ram que est in medio itinere contra Nineven u
ndecimo die. Dixitque angelus. tobias frater scis quem
admodum reliquisti patrem tuum. Si placet itaque tibi
precedamus. et lento gradu sequantur iter nostrum
familie tue simul cum coniuge tua et cum animali
bus. Cumque hoc placuisset ut irent. dixit raphahel
ad tobiam. tolle tecum ex felle piscis.
erit enim necessarium. Tulit itaque tobias ex fel
le illo et abierunt. Anna vero sedebat secus viam co
tidie in supercilio montis. unde respicere
poterat de longinquo. Et dum ex eodem loco specu
laretur adventum eius vidit a longe. et illico
cognovit venientem filium suum. Currensque
nuntiavit viro suo dicens. Ecce venit filius
tuus. Dixitque raphahel ad tobiam. At ubi intro
ieris domum tuam. statim adora dominum deum
tuum. et gratias agens ei. accede ad patrem tuum et o
sculare eum. Statimque lini super oculos eius ex
felle isto piscis quod portas tecum. Scias enim quoniam
mox aperientur oculi eius. Et videbit pater tuus
lumen celi. et in aspectu tuo gaudebit. Tunc precu
currit canis qui simul fuerat in via. et quasi
nuntius blandimento sue caude gaudebat.
Et consurgens cecus pater eius cepit offendens pedibus
currere. Et data manu puero. occurrit ob
viam filio suo. Et suscipiens osculatus est eum
cum uxore sua. et ceperunt flere pre gaudio.
Cumque adorassent deum. et gratias egissent
consederunt. Tunc sumens tobias de felle pi
scis. linivit oculos patris sui. et sustinuit quasi
dimidiam fere horam. cepitque albugo ex o
culis eius quasi membrana ovi egredi. Quam ap
prehendens tobias traxit ab oculis eius. Sta
timque visum recepit. Et glorificabant deum
ipse videlicet et uxor eius et omnes qui sciebant eum.
Dicebatque tobias. Benedico te domine deus israel quia
tu castigasti me. et tu salvasti me. et ecce vi
deo tobiam filium meum. Ingressa est etiam post septem
dies sarra uxor filii eius. et omnis familia
et pecora sana et cameli. et pecunia multa
uxoris. sed et pecunia quam receperat a gabelo.
Et narravit parentibus suis omnia beneficia dei
que fecisset circa eum per hominem qui eum duxerat.
Veneruntque achior et nabath consobrini to
bie gaudentes ad tobiam. et congratulantes
ei de omnibus bonis que circa illum ostenderat
deus. Et per septem dies epulantes cum gau
dio magno gavisi sunt.

XII Tunc vocavit ad se tobias filium suum
dixitque ei. Quid possumus dare viro isti
sancto qui venit tecum. Respondens tobias dixit
patri suo. Pater quam mercedem dabimus ei. aut
quid dignum poterit esse beneficiis eius. Me du
xit et reduxit sanum. pecuniam a gabelo ip
se suscepit. uxorem ipse me habere fecit. et de
monium ab ea ipse compescuit. Gaudium parenti
bus eius fecit. me ipsum a devoratione piscis
eripuit. te quoque fecit videre lumen celi. et bo
nis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad
hec dignum poterimus dare. Sed peto te pater ut
roges eum. si forte dignabitur medie
tatem de omnibus que allata sunt assumere. Et
vocantes eum pater et filius. tulerunt eum in par
tem. et rogare ceperunt ut dignaretur di
midiam partem omnium que attulerant acceptam
habere. Tunc dixit eis angelus occulte. Bene
dicite deum celi. et coram omnibus viventibus

confitemini ei. quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est. opera autem dei revelare et confiteri honorificum est. Bona est oratio cum ieiunio et elemosina. magis quam thesauros auri recondere. quoniam elemosina a morte liberat. et ipsa est que purgat peccata. et facit invenire misericordiam et vitam eternam. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem. hostes sunt anime sue. Manifesto ergo vobis veritatem. et non abscondam a vobis sermonem occultum. Quando orabas cum lacrimis et sepeliebas mortuos. et derelinquebas prandium tuum. et mortuos abscondebas per diem in domo tua. et nocte sepeliebas. ego obtuli orationem tuam domino. Et quia acceptus eras deo. necesse fuit ut temptatio probaret te. Et nunc misit me dominus ut curarem te. et saram uxorem filii tui a demonio liberarem. Ego enim sum raphael angelus. unus ex septem qui astamus ante dominum. Cumque hec audissent turbati sunt. et trementes ceciderunt super faciem suam. Dixitque eis angelus. Pax vobis. Nolite timere. Etenim cum essem vobiscum per voluntatem dei. ipsum benedicite et cantate illi. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere. sed ego cibo invisibili et potu qui ab hominibus videri non potest utor. Tempus est ergo ut revertar ad eum qui me misit. vos autem benedicite dominum. et narrate omnia mirabilia eius. Et cum hec dixisset ab aspectu eorum ablatus est. et ultra eum videre non potuerunt. Tunc prostrati per horas tres in faciem benedixerunt dominum. et exurgentes narraverunt omnia mirabilia eius.

XIII

Aperiens autem tobias senior os suum benedixit dominum et dixit. Magnus es domine in eternum. et in omnia secula regnum tuum. quoniam tu flagellas et salvas. deducis ad inferos et reducis. et non est qui effugiat manum tuam. Confitemini domino filii israel. et in conspectu gentium laudate eum. quoniam ideo dispersit vos inter gentes que ignorant eum. ut vos narretis mirabilia eius. et faciatis scire eos. quia non est alius deus omnipotens preter eum. Ipse castigavit nos propter iniquitates nostras. et ipse salvabit nos propter misericordiam suam. Aspicite ergo que fecit nobiscum. et cum timore et tremore confitemini illi. regemque seculorum exaltate in operibus vestris. Ego autem in terra captivitatis mee confitebor illi. quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem. Convertimini itaque peccatores. et facite iustitiam coram deo. credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam. Ego autem et anima mea in eo letabimur. Benedicite dominum omnes electi eius. agite dies letitie et confitemini illi. Ierusalem civitas dei castigavit te dominus in operibus manuum tuarum. Confitere domino in bonis. et benedic deum seculorum. ut reedificet in te tabernaculum suum. et revocet ad te omnes captivos. et gaudeas in secula seculorum. Luce splendida fulgebis. et omnes fines terre adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient. et munera deferentes adorabunt dominum in te. et terram tuam in sanctificationem habebunt. Nomen enim magnum invocabunt in te. Maledicti erunt qui contempserint te. et condempnati erunt qui blasphemaverint te. Tu autem letaberis in filiis tuis. quoniam omnes benedicentur et congregabuntur ad dominum. Beati omnes qui diligunt te. et qui gaudent super pace tua. Anima mea benedic dominum. quoniam liberavit ierusalem civitatem suam. Beatus ero si fuerint reliquie seminis mei. ad videndum claritatem ierusalem. Porte ierusalem ex saphiro et smaragdo edificabuntur. et ex lapide precioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido et mundo omnes platee eius sternentur. et per vicos eius alleluia cantabitur. Benedictus dominus qui exaltavit eam. ut sit regnum eius in secula seculorum super eam. amen.

XIIII

Et consummati sunt sermones tobie. Et postquam illuminatus est tobias vixit annis xlii. et vidit filios nepotum suorum. Completis itaque annis c. et ii. sepultus est honorifice in ninive. Quinquaginta autem namque sex annorum lumen oculorum amisit. sexagenarius vero recepit. Reliquum vero vite sue in gaudio fuit. et cum bono profectu timoris dei perrexit in pace. In hora autem mortis sue vocavit ad se tobiam filium suum. et vii iuvenes filios eius nepotes suos dixitque eis. Prope erit interitus ninive. non enim excidit verbum domini. et fratres nostri qui dispersi sunt a terra israel revertentur ad eam. Omnis autem terra eius deserta replebitur. et domus dei que in ea incensa est. iterum reedificabitur. Ibique revertentur omnes timentes deum. et relinquent gentes idola sua. et venient in ierusalem. et inhabitabunt in ea. et gaudebunt in ea omnes reges terre adorantes regem israel. Audite ergo filii mei patrem vestrum. Servite domino in veritate et inquirite ut faciatis que sunt placita illi. et filiis vestris mandate ut faciant iustitias et elemosinas. ut sint memores dei. et benedicant eum in omni tempore in veritate et in tota virtute sua. Nunc ergo audite me filii. et nolite manere hic. sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulchro. ex eo dirigite gressus vestros. ut exeatis hinc. Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei. Factum est autem post obitum matris sue tobias abscessit ex ninive cum uxore sua et filiis et filiorum filiis. et reversus est ad soceros suos. invenitque eos incolumes in senectute bona. et curam eorum gessit et ipse clausit oculos eorum. et

omnem hereditatem domus raguelis. ipse percepit.
et vidit quintam generationem filios filiorum suorum.
et completis annis nonaginta .ix. in timore
domini cum gaudio sepelierunt eum.
Omnis autem cognatio eius in bona vita et in sancta conversa-
tione permansit. ita ut accepti essent tam deo
quam hominibus et cunctis habitantibus in terra.

Prologus

Apud hebreos liber iudith inter agiogra-
pha legitur. cuius auctoritas ad robo[ra]n-
da illa que in contentionem veniunt minus ydonea iu-
dicatur. Chaldeo tamen sermone conscriptus inter hy-
storias computatur. Sed quia hunc librum synodus
nicena in numero sanctarum scripturarum legitur compu-
tasse. acquievi postulationi vestre. immo exactioni. et
sepositis occupationibus quibus vehementer arta-
bar. huic unam lucubratiunculam dedi. magis
sensum e sensu quam ex verbo verbum transfe-
rens. Multorum codicum varietatem vitiosis-
simam amputavi. sola ea que intelligentia in-
tegra in verbis chaldeis invenire potui. la-
tinis expressi. Accipite iudith viduam castita-
tis exemplum. et triumphali laude perpetuis eam
preconiis declarate. Hanc enim non solum fe-
minis. sed et viris imitabilem dedit. qui casti-
tatis eius remunerator. virtutem talem tribuit.
ut invictum omnibus hominibus vinceret. et insuperabilem
superaret.

Incipit liber Iudith.

[illegible]

I Arphaxad itaque rex medorum subiugaverat mul-
tas gentes imperio suo. et ipse e-
dificavit civitatem poten-
tissimam. quam appellavit
egbathanis. ex lapidibus
quadratis. et sectis fecit
muros eius in latitudinem cu-
bitorum septuaginta. et in latitudine cubito-
rum .xxx. turres vero eius posuit in altitudine cubi-
torum .c. Per quadrum vero earum latus utrumque vi-
cenorum pedum spatio tendebatur. et posuit-
que portas eius in altitudine turrium. et gloria-
batur quasi potens in potentia exercitus sui. et in glo-
ria quadrigarum suarum. Anno igitur .xii.
regni sui. nabuchodonosor rex assyriorum qui reg-
nabat in ninive civitate magna. pugnavit
contra arphaxath. et optinuit eum in campo mag-
no. qui appellatur ragau. circa eufraten. et
tigrim. et iadasan. in campo erioch regis he-
licorum. Tunc exaltatum est regnum nabuchodonosor.
et cor eius elevatum est. Et misit ad omnes qui ha-
bitabant in cilicia et damasco. et libano. et ad
gentes que sunt in carmelo. et cedar. et inhabi-
tantes galileam in campo magno esdrae-
lon. et ad omnes qui erant in samaria. et trans
flumen iordanis usque in ierusalem. et omnem terram
iesse quousque pervenitur ad montes ethio-
pie. Ad hos omnes misit nabuchodonosor rex assy-
riorum. qui omnes uno animo contradixerunt. et remise-
runt eos vacuos. ac sine honore abiece-
runt. Tunc indignatus est nabuchodonosor rex
adversus omnem terram illam. et iuravit per regnum
et thronum suum. quod defenderet se de omnibus his.
Anno tertio decimo nabuchodonosor regis. II
vicesima et secunda die mensis primi. factum est verbum
in domo nabuchodonosor regis assyriorum. ut defen-
deret se. Vocavitque omnes maiores. omnesque
duces bellatores suos. et habuit cum eis mi-
sterium consilii sui. Dixitque cogitationem suam in eo es-
se ut omnem terram suo subiugaret imperio.
Quod dictum cum placuisset omnibus. vocavit na-
buchodonosor rex holofernem principem militie sue
et dixit ei. Egredere adversus omne regnum occiden-
tis. et contra eos precipue qui contempserunt imperium
meum. Non parcet oculus tuus ulli regno. omnemque
urbem munitam subiugabis mihi. Tunc
holofernes vocavit duces et magistratus vir-
tutis assyriorum. et dinumeravit viros
in expeditionem sicut precepit ei rex. c. xx.
milia peditum pugnatorum. et equites sa-
gittarios .xii. milia. Omnemque expeditio-
nem suam fecit preire in multitudine innu-
merabilium camelorum. cum his que exercitibus
sufficerent copiose. boum quoque armenta
gregesque ovium. quorum non erat numerus. Frumen-
tum ex omni syria in transitu suo parari con-
stituit. Aurum vero et argentum de domo regis
assumpsit multum nimis. Et profectus est ipse
et omnis exercitus. cum quadrigis et equitibus et
sagittariis. Qui cooperuerunt faciem terre sicut lo-
custe. Cumque pertransisset fines assyriorum
venit ad magnos montes ange. qui sunt
a sinistro cilicie. Ascenditque omnia
castella eorum. et optinuit omnem munitionem.
Effregit autem civitatem opinatissimam
melothi. Predavitque omnes filios
tharsis. et filios ismahel. qui erant contra fa-
ciem deserti. et ad austrum terre cellon. et transivit
eufraten. et venit ad mesopotamiam. et
fregit omnes civitates excelsas que erant ibi
a torrente mambre. usquequo pervenitur
ad mare. Et occupavit terminos eius a ci-
licia usque ad fines iapheth. qui sunt ad a-
ustrum. Adduxitque omnes filios madian
ac predavit omnem locupletationem eorum.
omnesque resistentes sibi occidit in ore gla-
dii. Et post hec descendit in campos damasci
in diebus messis. et succendit sata omnia.
omnesque arbores ac vineas fecit incidi.
et cecidit timor illius super omnes inhabitantes
terram.
Tunc miserunt legatos suos universarum III
urbium. et provinciarum reges ac prin-